



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.LXXIX. Sancti Patris Benedicti. M.XCVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

minum necessitatibus se accommodat, cum videret Hibernos in Fide sua vacillare; voluit, ut eos confirmaret miraculum hoc contingere. Ita Henricus. Addit Manrique, apparuisse in resurgentiurum singulorum guttute, circulum rubeum, eo loco quo carnicum gladius penetraverat, habuisseque coronas in capite & palmas in manibus, dum dignissimas Regina Martyrum Vesperas, gloriosissimi huius Musici Martyres decantassent. Ex Henriquez, Manrique & alijs.

In inferiori Germania mortalibus eripitur, immortalibus jungitur Lambertus cognomento Hanquart, Canonij celeberrimi Gemblacensis meritissimus Antistes de quo, ut nos liceamus Epitaphium loquatur.

Hæc jacet.

R. D. Lambertus Hanquart hujus loci Abbas, qui cum Virginis uno fere annis presuisset, & non paucis sanctioris Vita probataque prudentia testimonia posteritati reliquisset, è Viris excessit anno Domini 1578. Mensis Augusti 28. die. Orate pro eo.

Symbolo usus fuit: sola manet Virtus. Vixit sub eodem, eodemque hoc anno mortuus est Joannes de Pastura locis hujus Prior, Vir Religiosus & eruditus, scriptor insignis, qui talia inter Commentarium in Psalmos & Cantica Canticorum edidit, sed & in Canonem Missæ similiter scripsit. Obijt 27. Decembris. 1578. Quo ipso anno carne similiter sedatus est, Quirinus Dovillet, Abbas Laticensis immediatus & dignissimus sanctæ memoriæ Ludovici Blosij successor; inter præcipuos hujus sæculi viros, haud immerito habitus, & omni posteritati commendandus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXXIX.
Sancti Paris Benedicti. M. XCVIII.

Iterum Cælo Empyreo lucidissimum mittit sydus Ordo noster, è sanctissima Congregatione sua Camaldulensi in Italia, sanctæ memoriæ Romualdum Fabrianensem, Montis Acuti perfectissimum Monachum, eâ sanctâ simplicitate virum, præter egregias alias virtutes, ut laudatissimo illi in Vitis Patrum, Paulo cognomento Simplici, jure merito compararetur. Fuit autem revera omni quasi humana sa-

piencia destitutus, sed Divina plenissimus omnem humanam familiaritatem, & commercia fugiens, totus Cælo intentus, inque Divinis absorptus hominis verè mundo mortui miraculum. Puritatis præterea extitit Angelicæ, Humilitatis maximæ, obedientiæ perfectissimæ, silentij strictissimi, tantæque innocentæ, ut planè crederetur, nunquam in omni vita mortaliter deliquisse. Captus aliquando à latronibus & arbori alligatus, morte ipsi intentata, eadem tamen mente & fronte sibi constitit, in hæc ipsa liberimè & securissimè erumpens: Facite mecum quantum DEUS permittit, inquit, mihi enim idem, sive hodie mori, sive die crastina. Patientiâ quàm maximè enituit, orationi jugiter intentus, jugiter sanctè fuit occupatus; serenissimo semper vultu, semperque hilaris in ipsa etiam morte, visus absque dolore & horrore, quasi ridens sanctam efflare animam. Decessit X. Cal. Novembris. Vitæ Monachicæ anno quinquagesimo sexto. Ex monim. Camald. August. Florent.

Mortalitatis eodem anno exuvias reliquit, insignis Ordinis decus Tristandus de Bizet ex Abbate sancti Nicolai in Bosco Sanctonenis meritissimus Episcopus, Vir non minus vitæ inculpatæ perfectione, quàm singulari eruditione cultissimus Mecœnas Studiorum & Studioforum liberalissimus, vixit annos octuaginta, mortuus sexto Iduum Novembris. Ex rer. Gall. Script. Chenu. Cl. Roberto &c.

Extinguitur item, multo bonorum omnium luctu, insignis Ordinis decus Thomas de Parentij Abbas celeberrimi Sancti Vedasti in Urbe Atrebatensis Monasterij, à puero sanctissimo Patriarchæ nostro Benedicto devotus & creditus, atque ab ipsomet Augustissimo Cæsare Carolo Quinto, ad Cænobium adductus & Abbati commendatus; jam tunc singularis modestiæ & maturitatis præferens speciem, ut ad regendum natus videretur. Vir fuit omni virtutum genere ornatissimus, magnæ authoritatis, promotor insignis disciplinæ Monasticæ & Reformationis: Cui hoc ipso anno succedit Joannes Saracenus Atrebatensis, summæ populi senatusque gratulatione, electus, de quo ita Ferreolus Locrius: Fuit

Ejusdem religionis.

Obijt Tristandus Episc. Sancton.

Thomæ de Parentij Abb. Vedast.

Joan. Saracenus Abbas illig.

Lambertus Abb. Gemblaci.

Epitaphium.

Joannes de Pastura Prior Gemblac.

Romualdus Fabrianensis.

Alter Paulus Simplicius.



Saracenus, acerrimi iudicij, præstantis doctrinæ, & ab ipsa velut natura ad summa factus. Accedebat vultus, & corporis dignitas, gratia mira in dicendo, in donando Regia liberalitas. Illum Philippus Rex Secretioris Consilij Senatoribus accensuit, & postmodum, sede Cameracensi per obitum Illustrissimi Domini Ludovici de Berlaymont vacante, ejusdem loci Archiepiscopum nominavit &c. *Hucusque Locutus.*

Memorable omnino ad omnem æternitatem exemplum, magnis in primis Principibus singulariter attendendum & observandum, quod hoc ipso anno in Henrico Cardinale, ultimo Lusitanæ Regum nimis quam apertè se prodidit, & futurum esse Mellissius Doctor noster Bernardus, tanto antè in prima Alcobaciensis Cænobij Fundatione, Fundatori ipsi, Alphonso I. Portugalliæ Regi, in sua, quæ usque hodie ad perpetuam rei memoriam, extat ad Regem scripta Epistola, his ipsissimis Verbis prænuñciavit: *Rescivimus etiam, inquit, ingentem pietatem, quâ commotus, votum de edificando Cænobio, Altissimo devovistis; quapropter mitimus hos filios, quos lacte doctrinæ, ab incunabulis Religionis Christo nutritimus, quo minus nos ipsos Cels. Væ. commendantes, piam voti intentionem, ad debitam executionem perducant; illud contendentes Monasterium, in cujus duratione & integritate, indelebile habebitis elogium Regni Vestri; & in divisione reddituum, dividetur à Vobis Corona Vestra, &c.* Ita peccatum hoc ipso anno ab ultimo Regum Lusitanæ Henrico Cardinale, hoc nimirum anno, ad Regnum evertito, cum Priore Sebastianus Rex improles, in Africa cum hostibus congressus, in acie occubuisse: illo rerum plenè potito Alcobaciensis Cænobij redditus dividente, & partem Abbatia in Commendam dante, partem aliam Conventui reservante: vix duo anni, aut ne vix quidem elapsi sunt, cum morte ejusdem Henrici, ac defectu successorum, Regnum, cui hætenus Lusitana imperarent, nec origine tantum, verum ortu, & victu, linguaque Castellanis Regibus accessit, hæreditario jure possidendum. Ut mirum omnino sit, ex mille ejusmodi exemplis, [quasi fortuita, & non destinata Nu-

minis voluntate & ultione essent] nihil emendationis sequi, cum nonnemo sedulus hujus ipsius rei observator, ex multorum decursu sæculorum observaverit quàm distinctissimè, vix ulius familiæ seu Regum, seu Principum, Comitumque & maximè Cænobialium Advocatorum, extinctionem, quàm in ultionem oppressæ Ecclesiasticæ Libertatis, suadente vel propria libidine & licentia, vel Ministrorum, suprema jura Principum, necessitatem boni publici, & figmenta alia allegantium, Monachis sufficere Juppam & Suppam impiè contententium impietate evenisse: quasi sacrilegium ludus & lusus esset, & Deus fictus aut pictus, obtentui Monachis ansam præberet, Verus autem honorum nostrorum non indigeret, Principibus in extremam tractis perniciem, in familiæ totius evertionem & deletionem, atque utinam non in æternam quoque damnationem; qui Religiosis vel fundata à Majoribus bona, vel jura quæcunque abstulissent. Cujusmodi exempla multa, hoc Lusitanico multò recentiora, nec minus, oculos in DEI manum intentos habentibus compertiora, hucusque habuimus, atque utinam non, etiam hodie haberemus; qui talium consiliorum, Architecti, dum pessimè suis Dominis consulunt, Judiciorum DEI profus immemores, Securè interim [verba Caroli Saussiej sunt] *præsolantur iram DEI.*

Balthasar à Dernbach Fuldenfis Abbatis & Principis, incomparabile moderationis & patientiæ exemplum, qui dum rerum Ordinis & solidæ reformationis toto corde satageret, impiorum refragatione, eò adactus est, ut nusquam securus, exilio lueret pietatem, eò rem adigentibus adversarijs, ut Rudolphus Imp. multis agitatis super Fuldenfi causa consilij, dum controversia magis liqueret, sequestrati Ditionem regendam statueret. Pro in Religiosissimus Abbas hoc anno in arcem Bibersteiniam secessit, & moderationis, patientiæ, hospitalitatis officijs indulgens doctrinæ pietatisque studijs, ita se totum tradidit, ut in summa, ac diuturna vacatione, otij parum, negotij ei plurimum superesset. Scificiant, eequo tandem animo ferret, qui lædere voluisset neminem, prodesse

*Predicatio
S. Bernardi
impleta.*

*Unde Reg.
in Lusitan
calamitas!*

*Deus ultra
subprelo-
nis Mona-
stiorum.*

*Exempla
quotidia-
na.*

*Baltha-
sari Abb.
Fuldenf.
Patientia.*

desse autem suis vel maximè, tamen odia non evitasset, & Principatu ac honore simul excidisset? Respondit: *Fluvius temporis venire in mentem, cum nec Princeps; nec Abbas fuisset.* Et DEUM adhuc plus sibi, quam optarat, reliquisset, Causam quidem suam, hortante conscientia non negligere, & inimicorum nemini solitum irasci. *Ex Christ. Browero.*

IESU CHRISTI ANNU S.M.D.LXXX.
Sancti Patris Benedicti Millesimus
Centesimus.

STupendum omnino Reformatio- nis genus, quod DEO secundante, imo concitante, cujus solus est mirabilia facere, suscepit sanctæ memoriæ Joannes Barrerius noster, ad confusionem eorum omnium, qui dissimulantes adherere sibi *Sedem iniquitatis, fingunt laborem in precepto*, nec tempori nec hominibus hodie conformes esse assentes, quod est ex Regula Instituto, ad confusionem inquam, eorum, qui terrena & secundum carnem sapunt: cum jam aliquamdiu sanctissimam Regulam nostram ad amulsum cum suis observasset, concitante vehementius sanctam ejus mentem Divino Spiritu ad ulteriora accensus, convocatis ad se Fratribus simili fervore accensis, expertisque jugum Domini suave & onus ejusdem verè leve esse, seiscitatus paternè est: placere ne continuare susceptum semel vitæ rigorem, an adaugere, & pro eo quod olim & ipsi neglexerant, & negligere toto orbe Confratres sui Benedictini pergerent, Numini satisfacere, antea actæque vitæ etiam seram, seriam tamen poenitentiam agere. Placuit omnibus, singulis sese ad ea quæcunque Institutori & Parenti placerent suo, offerentibus. Res miranda! Proposuit dura admodum & atrocia in speciem Barrerius, communi nihilominus assensu applausuque juvenum æquè ac senum, nobilium æquè ac ignobilium acceptata, & mox practicata. Asperitatem proin vitæ maximam, invocato DEI adjutorio, cum suis omnibus ac singulis Generosissimo animo aggressus, in qua præibat alijs exemplo, perpetua corpus suum cruce configens, sequentia in usum quotidianum, & quoad viverent perpetu-

um induxit. In victu quidem perennem & continuam, non solum juxta Regulam à carnibus, sed etiam ovis, piscibus, vino, oleo, sale abstinentiam, cum jejunijs juxta Leges Sanctissimi Patris nostri BENEDICTI ita sine intermissione severeque continuatis, ut in eorum decursu, neque dies Domini, nec ipse Domini Natalis, exciperentur, ac nihil prorsus Vesperis, ne aquæ quidem stilla sumeretur. Quin etiam sublato mensarum usu, Fratribus humi sedentibus, quasi perpetuam in poenitentiam, pro mensa, solum esset. In vestitu lanam, nullâ subjectâ subuculâ, cuti proximam, & perpetuam crurum, pedum & capitis nuditatem. In cubitu nudam sine ullo stramento tabulam, aut ipsum solum, si ve cemento incrustatum, si ve coctis lateribus contratum. Quem quidem vita rarissimum rigorem, dici vix potest, quanto ardore, quantoque fructu plurimi paulo post sint amplexi. Idemque ita à Numine roborati, ut multo majora sibi injungi expeterent; multi triduum aut quadriduum in hebdomade, diebus partim continuatis, partim interpolatis, nihil omnino cibi & potus degustarent, cum tamen labori minime parcerent. Aliqui eorum per idipsum tempus, diebus Festis, ad oppida & castella, quinque aut senis passuum millibus à Monasterio disjuncta, sacras Conciones unam in uno, alteram in altero oppido habituri excurrerent, nec tamen quidquam cibi aut potus, vel in illis oppidis, vel in via attingerent, sed integram famem ad panis gregarij, & olerum cœnam aridam, vespere, aut etiam nocte in Canobio apponendam reversis, reservarent. Ut non tam in Barrerio solo *Redivivum BENEDICTUM*, quam in toto ejusdem Monasterio, quin paulo post in Congregatione amplissima, in singulis Monachis BENEDICTOS REDIVIVOS admireris, imo in singulis absolutissimam non tam imaginem Sanctissimi Patriarchæ nostri Benedicti, quam spiritum & animam veneris, obstupescente meritò, ad tanta Numinis miracula in fragili homine, sæculo tam obscuro quam perditò, & DEI solius manum & gratiam in hisce servis agnoscentibus. *Ex Philippo Malabayla, Henriquez, & alijs.*

Jpfo

Insigne ejus
distum.

Labor B.
Joannis
Barrerij.

Sancti
ejusdem co-
natus.

Stupenda
provis Re-
formatio
& successus.

Mira omni-
nino Nu-
minis gra-
tia.

Verè Redi-
vivos in
Barrerio S.
P. N. est.